

† R. P. Philippus Hoffmann (1904-1948)²

(Prov. Balt.)

Non a veritate aberrare nobis videmur, si defunctum nostrum Archivistam generalem religiosum « sanctum » appellamus. Nos quidem ultimis tredecim eius annis, quibus cum eo in eadem communitate viximus, nunquam in eo manifestum defectum notavimus: nullum actum irae vel impatientiae, nullum verbum contra observantiam Superioribus debitam vel contra caritatem ...; e contra innumeros actus positivos virtutis, et haud raro heroicae virtutis, v. g. cum tempore ultimi Congressus historici, certe iam infirmitate sua mortali debilitatus, laboris pensum quasi suprahumanum persolvebat, et solita quidem sua hilaritate vultus.

Noster Fr. Godefridus Redemann, qui optime eum noverat et cum eo toties laboraverat, uti a. 1943, mundantes insimul puteum pristinae Villae *Caserta* in constructione novae domus rudere impletum, post eius obitum inter alia haec nobis scrip-

¹ Haec duo necrologia desumpta sunt ex foliis *Gli Amici di S. Alfonso*, Febr. 1946.

² Effigiem defuncti vide in Congressu historico, *Analecta XX*, 58.

sit: « Pauci meae memoriae impressi sunt ut P. Hoffmann: eius caritas, bonitas, invandi promptitudo. Nullum in eo erat egoismi vestigium. Saepe in spiritu eius figuram firmiter prehendebam, cum labor in domo generalitiae meas vires excedere videbatur. Tunc eius exemplum me de momentis tristitiae fecit triumphare. Nunc recepit mercedem tot actuum virtutis. Etiam in posterum eum respiciam. Quod ille fecit, et ego facere studebo: sustinere, mei oblivisci ».

In sinu optimae familiae, originis et linguae germanicae, Philippus Hoffmann natus est in urbe Newark, New Jersey (USA), 4 Maii 1904. Pater Philippus, mechanicus, adhuc inter vivos est et filio transmisisse videtur « rectam rationem factibilium », quamquam nec « recta ratio agibilium » in nostro Philippo deerat. Mater Anna Wissel († 1933), consanguinea nostri P. Iosephi Wissel, auctoris 3 voluminum inscriptorum *The Redemptorists on the American Missions* († 1912), baptizata erat in nostra Neo-Eboracensi ecclesia SS. Redemptoris, a nostro P. Kleineidam, et tempore partus ob pneumoniam ipsa et infans in gravi vitae periculo versabantur. Philippus baptismatis sacramentum recepit in templo abbatiae Benedictinae a S. Maria nuncupatae. Tam pulchra specie infans erat, ut P. Lucas Mossburger O. S. B., volens Infantem Iesum pingere, Philippum nostrum eligeret prototypum.

In prima eius aetatula familia Hoffmann a Newark Philadelphiam ad nostram paroeciam S. Bonifatii transmigravit. Itaque quinque filii et quattuor filiae (una nunc inter Sorores Monacenses a Domina Nostra Baltimorae iuventam docet) in nostris scholis paroecialibus suam instructionem receperunt, et ita nata est vocatio Redemptoristae, primum in filio Cornelio, qui recta via iuvenatum North East petiit et nunc Vice-Provinciam de Richmond regit; dum frater minor Philippus prius per annum collegium Iesuitarum frequentavit et in cognoscenda sua vocatione a suo confessario R. P. Alfrido Menth scite adiutus est. † P. Ioannes Beierschmidt fuit eius in iuvenatu Director, † P. Gulielmus Knell Ilchestriae qua Magister eius vota recepit festo S. Alfonsi 1925. In studentatu Esopus Praefectum habuit R. P. Gulielmum McCarty, hodiernum Pastorem dioeceseos Rapid City, South Dakota. Presbyteratus ordinem ei contulit 30 Iun. 1930 Suffraganeus Neo-Eboracensis Exm̄us Ioannes Dunn. † P. Franciscus Auth eum instruxit sex mensibus II novitiatus.

P. Philippus, sic bene formatus, a † P. Provinciali Andrea Kuhn adscriptus est communitati Neo-Eboracensi ad Immaculae Conceptionis et brevi post ad S. Clementis, Saratoga Springs, unde statis temporibus visitabat ruricolos catholicos slavonici idiomatis, quod studiorum tempore didicerat. Exstat charta accuratissime ab eo delineata cum omnibus viis et praediis illius districtus, et catholicorum praedia peculiariter notantur.

Mense Septembri 1935 Rm̄us P. Generalis P. Murray P. Philippum Romam vocavit, ut sibi esset a secretis, cui officio confrater noster sin-

gulariter idoneus erat sua dexteritate scribendi machina vel stenographicè et tot linguarum scientia et miro suo studio faciendi bene, immo optime, quidquid faciendum erat, et perfecta sua discretione.

Mox autem huic Secretario habili et ad omnia parato alia officia prorsus haud levia committebantur: videlicet Bibliothecarii et Ministri (2/V/39-15/XI/45, ergo tempore difficillimo belli) et Consultoris Superioris localis, et Subministri (usque ad mortem) et inde a 19/III/46 Archivistae generalis. Nemo insuper eo magis promptus erat ad confessiones excipiendas sive domi (haud pauci quippe Patres et Fratres hunc iuvenem sacerdotem adibant ad exomologesim) sive in sacristia et ecclesia sive foris, ut in Pont. Collegio de Propaganda Fide, ubi adhuc eius memoria in benedictione est. Per longum tempus eius patientiam exercitabat quidam Melitensis (« il Maltese » vocatus). In regione Urbis Praenestina vivebat publicus peccator, blasphemus, ultra 30 annos ab omni religionis praxi alienus; sed post longam confessionem in ecclesiola certi monasterii monialium factam apud « sanctum » P. Hoffmann lupus in agnum mutatus est, ita ut multi mirabundi exclamarent: « Quod miraculum hic sacerdos perfecit! » Ad funus confratris nostri aderat puella Americana, quae et ipsa ei debebat suam conversionem.

Nemo eo iucundius et utilius in casibus asceticis tractabat quaestiones practicas, velut in ultimo casu suo de paupertate et eleemosyna, et sciebat « ridendo dicere verum ». Multoties anglice universo orbi fuit nuntius veritatis ex radiophonica statione vaticana. Si ordinandi apud nos exercitia spiritualia peragebant, P. Hoffmann legebat ad mensam et alia servitia praestabat. Deficiente ministro ipse libenter sacerdoti Missam celebraturo se offerebat. Fratres laicos in abluendis scutellis adiuvere solebat, et ibi quidem, ubi suo adiutorio magis indigebant. Fr. Godefridus narrat se aliquoties intempesta nocte adire debuisse P. Ministrum, qui statim, etsi suspirans, surgebat et auxilium petatum ferebat. Si quando eum rogabat, ut loco sui vespere portas domus clauderet, non timebat repulsam. Quod P. Hoffman in bibliotheca multum operae infectum reliquit, non est mirum, cum eius quoque dies non haberent nisi 24 horas. Post Capitulum generale a. 1947 ei data est facultas videndi post diuturnam absentiam 12 annorum denuo in patria suos caros consanguineos et confratres.

Amato confratri praematuram mortem attulit inexorabilis cancer occludendo eius intestina et sic nutritionem impediendo. Die 22 Maii 1948 cl. prof. Antonucci in nosocomio vicino Sororum S. Elisabeth operatione chirurgica duarum horarum abstulit intestini centimetra quinquaginta. Postridie infirmo in manifesto vitae discrimine versanti Pl. R. P. Vice-Rector L. Quittelier administravit extremam unctionem, sed Deus per alios 5 menses aegrotum nostrae aedificationi relinquere voluit. Recte scribit R. P. Telleria in chronicis domus: « Ad aegrotum accedere significabat

potius solamen recipere quam dare; adeo effulgebat eius animi serenitas et subridens unio cum Dei voluntate. Quam insisterenter efflagitabat ab omni sacerdote se invisente benedictionem! » Tam vivae fidei spiritum aliasque virtutes etiam Sorores nosocomii admirabantur, et Mater Provincialis nobis dixit: « De tali sodali vestra Congregatio superbire potest ».

Die 24 Iulii carissimus infirmus ad nos rediit. Miraculum, a permultis per intercessionem Ven. Ioannis Nep. Neumann petatum, non erat factum. Etiam rusticatio Fregenarum ad mare Mediterraneum sanguinem, sedem morbi, mutare nequibat. Quamobrem P. Vice-Rector Dominica 17 Octobris ei denuo extremam unctionem administravit, Viaticum quoque porrexit et votorum renovationem ab eo recepit, praesentibus multis confratribus, quibus moribundus in fine dulciter subridendo gratias egit.

Post sex dies interrogavit eum P. C.: « Quodnam memoriale tu, qui nunc morti tam vicinus es, mihi relinquis? » Humiliter respondit: « Oh, quot bonorum operum omissiones in vita mea conspicio! Sed Deus in sua misericordia supplet omissa, operando in anima sua potenti gratia. Nunc gaudens memini illos dies, quibus laboribus adeo obrutus eram, ut omnes perficere non possem, quia hoc modo etiam peccata omissionis impediabantur. Bona vitae norma haec est: Facere quod hic et nunc faciendum, et accurate quidem, cum hoc modo universale Dei consilium adimpleamus ». Certe ipse hanc regulam in vita secutus est. Iam pridie eidem confratri confessus erat: « Nil timeo intrans in aeternitatem una cum Matre Maria adeo benigna. Mea vita prorsus non est necessaria. Praestat mori tempore, quo quis ad mortem paratus est ». Ordinarie sequebatur regulam: *Sacramentum regis abscondere bonum est*, nil dicens de sensibus suis intimis.

Audiat etiam iudicium nosocomii nostri Fr. Pancratii: « P. Hoffmann habebat in se aliquid angelici. Munditiam summa cura servabat. Occultabat thesauros sui interni. Nunquam lamentabatur, et ne desideria quidem sua manifestabat. Patientia eius erat heroïca, patiens continuos vomitus, et post talem vomitum statim denuo studebat subridere, quod certe non est facile ».

Vesperi 5 Novembris P. H. eius animam refocillavit quadam paraphrasi *Pater noster* et longiore benedictione; sed infirmus non iam poterat subridere, uti consueverat semper; ergo finis appropinquabat. Sequenti nocte apud eum vigilabat primum Pl. R. P. Szrant, postea R. P. Denges. Quando postero die paulo ante h. 9 Pl. R. P. Provincialis Pagliara infirmum visitavit, moribundus adhuc eum cognovit et in osculo Domini quievit h. 9.25, multis confratribus ad eius lectum orantibus.

Romae Missam exsequialem cantavit 8 Novembris Pl. R. P. Keogh, Rōmā P. Generalis absentis vices gerens. Ob magnum numerum sacerdotum, qui nunc in domo generalitiae morantur, funus peculiarem sollemnitatem induit. Brooklynii autem servitium funebre vel sollemnius fuit, ut

iam antea dictum est¹. Quam pulchre Deus disposuit, ut in patria defuncti ipse supremus Instituti Moderator Missam celebraret cum assistentia fratris germani et proprii Superioris Provincialis, cantantibus *Requiem* parvulis numerosis paroeciae pro aeterna quiete illius, qui inde a pueritia cantum ecclesiasticum adeo amaverat et pulcherrima sua voce toties divini cultus decorem adauxerat!

Quiesce in sempiterna Dei pace, anima carissima, et nunc in portu aeternitatis securo ora pro nobis, qui adhuc undis huius maris procellosi circumferimur!